

hereditates, donationes, cujusque generis sint, legata, et alia hujusmodi. Cum enim hæc a merito personali vel naturali debito alicujus procedant, in quæstu esse non videntur, ideo in hanc societatem non veniunt. L. 9, l. 10, l. 11, l. 71, § 1, ff. eod. l. 45; § 2, ff. *De acquir. hered.* Econtra vero societas hæc non tenetur pro ære alieno sociorum, nisi in communem arcam pecuniæ versæ sint. L. 82, ff. *Pro socio.*

Tertia societatis species est cujuslibet honestæ negotiationis. In hac societate si quæ pecuniæ, aut res ad exercendam negotiationem destinantur societati, non statim atque destinatæ sunt, communes fiunt, sed tunc demum cum re ipsa collatæ fuerint. L. 8 in princ., et § 1, ff. eod. Huic porro societati acquiritur omnis quæstus, qui ex illa negotiatione proficiscitur, non autem is, quem aliunde socii faciunt. L. 52, § 9, ff. eod.

Ab hac societate non valde dissimilis est societas vectigalium, quæ a præcedente in hoc tantum differt, ut morte unius ex sociis non solvatur, quod proprium est hujus societatis tantum, sed daret inter superstites, quin etiam ut hæres defuncti in societatem succedat, si ita ab initio conventum fuit, quod infra de solutione societatis indicabimus.

Quinta societatis species est societas rerum certarum, vel unius rei, puta unius prædii. L. 2, cod. *Pro socio*, l. 3, § 2, ff. eod. tit. In societate unius rei quemadmodum et in societate unius negotiationis, illud demum lucrum, vel damnum confertur, quod propter illam rem contingit. L. 52, § 6, ff. eod. Insuper socius illud lucrum non confert, quod duntaxat propter suam partem sentit. L. 63, § 6, ff. eod.

Superest ut aliquid attingamus de jure sociorum circa societatem. Socius portione, quam in rebus communibus habet, in quælibet transferre potest. L. 3, et l. 4, cod. *De com. rer. alien.* Absit tamen quod quis ex sociis plus parte sua alienare possit, licet omnium bonorum societas sit. L. 68, ff. *Pro socio.* Quinimo socius non modo potest portionem suam tantum alienare, sed neque valet aliquid in re communi jure domini agere invito altero, ut si quis ædificare velit invitatis aliis, ei non permittitur. L. 28, ff. *De com. divid.*, l. 27, § 1, ff. *De servit. urb. præd.*, l. 11, ff. *Si servit. vindic.* Notandum tamen quod, licet quis ex sociis impediri possit, quo minus in fundo communi ædificet, non tamen cogi potest ad demolendum opus jam factum, nisi absente socio, ad læsionem ejus ædificaverit. L. 28, ff. *Com. divid.*, vers. *Sed etsi.*

Socius non potest suis sociis alium socium asciscere citra eorum consensum, et si quid damnum sentiat societas ob hunc socium ascititium, ipse tantum præstabit, nullo habito respectu utilitatis, quam socius hic attulerit societati, nisi demum cæteri etiam socii consenserint, ut hic socius ascititius in societate admitteretur. L. 19, l. 21, l. 23 in princ., et § 1, l. 24, l. 25, l. 26, ff. *Pro socio.* « Nam socii mei socius, meus

socius non est. » L. 47, § fin. *De reg. jur.* (13. In contractu societatis, si quid pereat sine ulla culpa sociorum damnum censetur commune. *Communis*, per text. in l. *Cum duobus* 52, § 4, ff. *Pro socio.*

(14. Si autem quid pereat culpa lata, vel levi unius socii, tenetur solus talis socius ad ipsum damnum, socius enim tenetur versus socios de dolo, culpa lata et levi, non tamen levissima. *Communis*. Et quidem quod tenetur de dolo evincitur aperte ex § *Socius* 9, instit. *De societate*, leg. *Cum duobus* 52, § 2 et 3, ff. *Pro socio*, cum similibus. Quod tenetur socius de culpa lata, habetur clare ex cit. § *Socius* 9, instit. *De societate*, leg. *Non ob eam* 25, et l. *Socius* 72, ff. *Pro socio*, cum similibus. Quod tenetur socius etiam de culpa levi, demonstrat manifesta ratio, quia contractus societatis est ex illis, qui conferunt ad utriusque contrahentis utilitatem; in istis autem contractibus contrahens tenetur, nedum de dolo et culpa lata, sed etiam de levi, textu expresso in l. *Si ut certo* 5, § 2, ff. *Commodati*, l. *Contractus* 33, ff. *De regul. juris*, cum similibus, adeoque, etc. Quod autem non tenetur socius de culpa levissima, habetur clare ex cit. § *Socius* 9, instit. *De societate*; ubi expresse sic dicitur: « Culpa autem non ad exactissimam diligentiam redigenda est, » quod expresse habetur etiam in cit. l. *Socius* 72, ff. *Pro socio*, ibi: « Culpa autem non ad exactissimam diligentiam redigenda est. »

(15. Ex dictis inferitur primo quod, si res tradita in societatem, fuerit furto sublata defectu debitæ custodiæ, tenetur ille, cui data fuerat, illam compensare, nec damnum sit commune utrique. *Communis*, per text. in l. *Cum duobus* 52, § 1, 2 et 3, ff. *Pro socio.*

(16. Inferitur secundo quod non solum tenetur socius ex dolo, culpa lata et levi in ordine ad damnum ex ea secutum, sed etiam in ordine ad lucrum cessans et damnum emergens. *Communis*, claris textibus in leg. *Cum duobus* 52, § 11, ff. *Pro socio*, et l. *Socius* 60, ff. eod.

(17. Inferitur tertio quod ex culpa etiam levi alicujus ex sociis teneantur etiam hæredes ejusdem delinquentis ad compensationem alteri ex sociis faciendam. *Communis*, claris textibus in l. *Hæres* 40, ff. *Pro socio*, et leg. *Verum* 63, § 8, ff. eod., ubi expresse dicitur: « In hæredem quoque socii pro socio, actio competit, quamvis hæres socius non sit, licet enim socius non sit, attamen emolumentum successor est. »

(18. Expensæ, quæ fiunt causa societatis, debent esse communes et solvendæ sunt ex communi pecunia societatis. *Communis*, textu expresso in l. *Cum duobus* 52, § 15, ff. *Pro socio*, cum similibus.

(19. Hinc si ex necessitate societatis aliquis ex sociis proficiscatur in alias regiones, et sumptus longe majores faciat, quos non faceret domi se continens, debet ex bonis societatis quoad illos compensari. *Communis*, textu expresso in cit. l. *Cum duobus* 52, § 15, ff. *Pro socio*, cum similibus.

(20. An autem deducendæ sint expensæ

illæ, quas dictus socius domi fecisset. si alio propter societatem non fuisset profectus? Variant doctores. Detrahendas enim esse defendunt Major in 4, dist. 15, quæst. 47; Angelus, verb. *Societas*, n. 12; Silvest., v. *Societas* 1, quæst. 12; Filliucius, tractat. 8, cap. 3, nu. 73; Gama, decis. 213; Rosignol., *De societate*, contract. 7, prænot. 13, num. 5, vers. *Limita quarto*, et alii hac ducti non spernenda ratione jure suffulta, quod expensas, quas socii in rebus suis privatis faciunt, vel facere deberent, ex suo solvere debent. L. *Cum duobus* 52, § 15 et 16, ff. *Pro socio*. Non esse autem detrahendas sustinent Lessius, l. II, cap. 25, dub. ultim., n. 35; Azorius, l. IX, cap. 5, quæst. 8; Reginaldus, l. XXV, cap. 27, n. 395; Layman, loc. cit., n. 5; Bonacina, loc. cit., punct. 4, n. 3; Reiffenstuel, loc. cit., n. 145; Navarr., *Manual.*, cap. 17, n. 285 et alii, hac ducti ratione, quod jura præscribentia expensas hujusmodi faciendas esse de bonis societatis, absolute loquuntur sine ulla restrictione, ut patet ex cit. l. *Cum duobus* 52, § 15 et 16, ff. *Pro socio*, et similibus. Quod autem lex non distinguit, neque nos distinguere debemus. Cap. *Quia circa* 22, *De privileg.*, et l. *De pretio* 8, ff. *De Publiciana in rem actione*; accedit praxis, et consuetudo, quæ est optima legum interpretis; leg. *Si de interpretatione* 37, ff. *De legibus*; c. *Cum dilectus* 8, *De consuetudine*, quæ ubi vere adsit, est servanda. Argum. cap. *Cum tanto* 11, *De consuetudine*.

(21. Conveniunt tamen omnes, quod non essent solvendæ ex bonis societatis expensæ illæ, quæ inutiliter et irrationabiliter fierent in convivii, aliisque rebus non necessariis; istæ enim cum non cederent in bonum societatis, nec de bonis societatis, sed de bonis propriis eas inutiliter et irrationabiliter facientis essent solvendæ. Cum justum non sit, ut quod pro se inutiliter consumitur, in aliorum perniciem transfundatur; peccata enim suos debent tenere auctores. L. *Sancimus* 22, cod. *De penis*, c. *Quæsit* 2, *De his quæ fiunt a majori parte capituli*. Nec debet alteri per alterum iniqua conditio inferri. Leg. *Non debet* 7, ff. *De regul. jur.* cap. *Non debet* 22, *De regul. juris* in 6.

(22. Si socius aliquis absque sua culpa, etiam levi, ex causa, seu ratione societatis damnum incurrit, quia, v. g. ad merces comparandas profectus in latrones incidit, qui eum vestibus, et pecunia etiam propria spoliaverunt, vel se aut servum ejus vulneraverunt, et proinde ad se vel servum curandum multas fecit expensas, tales expensæ solvendæ sunt ex pecunia societatis. *Communis*, textu expresso in cit. l. *Cum duobus* 52, § 9, ff. *Pro socio*, cum similibus.

(23. Dicitur autem notanter: *absque sua culpa etiam levi*, quia secus esset dicendum, si dictus socius ex sua culpa in tale damnum incidisset, v. g. pergendo contra expressam consociorum prohibitionem per viam periculosam, latronibus obsessam, provocando alium rixis, in quibus fuit vulneratus, et hujusmodi. *Communis*, argum.

cit. l. *Cum duobus* 52, § 4 in fine, ibi: « Nam sicuti lucrum, ita damnum quoque commune esse oportet, quod non culpa socii contingit, » ubi nota ly « quod non culpa socii contingit; » ex quibus verbis stat clarum, quod non debeat esse commune damnum, quod culpa socii contingit ut, *ibid.*, 18, ibi: « Si ob maleficium suum, ipsum tantum damnum sentire debere. » Socius enim tenetur, nedum de dolo et culpa lata, sed etiam de culpa levi *per jura adducta supra* num. 13. Tum quia justum non est, ut societas damnum patiat ex culpa alicujus socii. Peccata enim suos debent tenere auctores. L. *Sancimus* 22, cod. *De penis*, cap. *Quæsit*, 2, *De his quæ fiunt a majori parte capituli*; et rem, quæ culpa caret, in damnum vocari non convenit, ut expresse statuitur in cap. *Cognoscentes* 2, *De constitutionib.* Nec debet aliquis alterius odio prægravari, textu expresso in cap. *Non debet* 22, *De regul. jur.* in 6, leg. *Non debet* 74, ff. *De regul. jur.*

(24. Dicitur etiam notanter *ex causa, seu ratione societatis*, quia damna propria, quæ socius aliunde incurrit, v. g. quia iter ad proprium commodum arripuit, et inde a latronibus pecunia et rebus fuit spoliatus, seu vulneratus fuit, vel ob privatas inimicitias seu rixas fuit vulneratus, et hujusmodi, non debent societati imputari, sed ipsi soli. *Communis*, textu expresso in l. *Socius qui* 60, § 1, *Pro socio*, et concordat cit. l. *Cum duobus* 52, § 18, ibi: « Si ob maleficium suum, ipsum tantum damnum sentire debere. »

(25. Societas finitur seu dissolvitur quatuor præcipuis modis, scilicet ex personis, ex rebus, ex voluntate et ex actione, textu expresso in leg. *Verum est* 63, § 10, ff. *Pro socio*, ibi: « Societas solvitur ex personis, ex rebus, ex voluntate, ex actione; ideoque sive homines, sive res, sive voluntas, sive actio interierit, distrabi videtur societas. » Et concordant l. *Societatem* 4, et leg. *Actione* 65, ff. eodem, et institutione *De societate* § 4, 5, 6, 7 et 8.

(26. *Ex personis* dissolvitur societas per mortem naturalem unius socii, quamvis societas eum pluribus contracta fuerit, et plures supersint, cit. leg. *Societatem* 4, l. *Verum* 63, § 10, et leg. *Actione* 65, § 9, ff. *Pro socio*, et § *Solvitur* 5, instit. *De societate*. Nisi enim in coeunda societate aliter convenierint socii, hæres socii defuncti non succedit, cum censeatur electa industria personæ, textu expresso in cit. leg. *Actione* 65, § 9, ff. *Pro socio*, et cit. § *Solvitur* 5, instit. *De societate*; imo Pomponius docet « adeo morte unius socii dissolvi societatem, ut nec ab initio pacisci possimus, ut hæres etiam succedat societati. » L. 59, ff. *Pro socio*, cui cohæret etiam Ulpianus, in l. 35, ff. eod. Unde hæres socii defuncti non succedit in locum ejus, nisi novo consensu ineatur societas. Leg. *Nemo potest* 35, et l. *Plane* 37, ff. *Pro socio*.

* Non ita accidit in societatibus vectigalium, quæ, uno defuncto, manet inter su-

perstites, « sed ita demum si pars defuncti ad personam hæredis ejus ascripta sit, ut hæredi quoque conferri oporteat. Quod ipsum ex causa aestimandum est. » L. 59, vers. *Hæc ita*, ff. *Pro socio*. Et quidem ipso jure citra ullam conventionem. In hoc consistit, ut inquit Janus a Costa ad instit. § 5, *De societate*, prima differentia hujus societatis, a reliquis societatibus, quæ, ut supra notavimus, morte unius socii solvuntur, nec durant inter superstites nisi ita convenerit post mortem ipsius socii. Quin etiam in societate vectigalium hæres defuncti in societatem succedet, sed ita demum si hæc lex societati dicta sit, ut pars defuncti ipsi ascriberetur, id est ut in societatem in parte defuncti succederet. Valet enim hæc conventio in societate vectigalium, et hæc est secunda differentia, in qua differt a cæteris societatibus, in quibus talis conventio non admittitur, ut supra monuimus. *Vide* Janum a Costa, *loc. cit.* Cæterum, ut observat doctissimus Scultingius, quamvis ex speciali lege hujus societatis possit hæres defuncti cogere socios, ut ipsum asciscant in socium pro parte defuncti, et vicissim ipse ab eis cogi possit, non tamen fit ipso jure socius, sed dum fuerit ascitus. L. 63, § 8, ff. *Pro socio*. Est tamen casus, in quo hæc etiam societas solvi poterit per mortem unius ex sociis, ut colligitur ex superius citata lege 59, per hæc verba: « Quid enim si is mortuus sit, propter ejus operam maxime societas coita sit? aut sine quo societas administrari non possit. » Possunt enim esse justæ causæ, cur neutrum fieri debeat, et tunc nec durare debet societas inter superstites. Item possunt esse causæ, cur, manente societate, pars defuncti non debeat ascribi hæredi, puta quia non est idonea persona, et tunc quidem non poterunt cogi alii socii ad hunc hæredem asciscendum.

Quod diximus, morte socii solvi societatem, hanc limitationem recipit, scilicet si integris omnibus manentibus, alter decesserit, deinde tunc sequatur res, de qua societatem coierunt, tunc eadem distinctione utemur, qua in mandato, ut si quidem ignota fuerit mors alterius, valeat societas; si nota, non valeat. L. 65, § 10, vers. *Quod si*, ff. *Pro socio*. Puta duo coierunt societatem ad rem emendam, uno ex his mortuo, alter qui mortem ignorat, rem emit, valebit societas poteruntque socius, et hæres socii mortui invicem agere pro socio, quasi emptio facta esset vivo socio.

Quamvis autem morte unius socii solvatur societas, hæres nihilominus socii mortui in omnia hujus jura, quæ ex ante gestis pendent, succedit. L. 40, et l. 65, § 9, vers. *Sed quod*, ff. *Pro socio*. Illud denique observandum est quod, quamvis ad hæredem socii non transeat, nihilominus si novus intercedat consensus, potest continuare societas. L. 37, ff. eod. *

(27. Et istud extenditur etiam ad mortem civilem alicujus ex sociis, qualis censetur incuri per exsilium et professionem religiosam. Argum. cit. *Juribus*, et § *Minor* 2,

instit. *De capitis diminutione*; cum enim censeatur electa in societate industria personæ, et ignoretur qualis futura sit industria hæredis exsulis, seu professi, non potest ipse hæres in ejus locum succedere, nisi novo consensu ineatur societas. Cit. l. *Nemo potest* 35, et l. *Plane* 37, ff. *Pro socio*.

(28. Item dissolvitur societas per maximam et mediam capitis deminutionem, non per minimam; textu expresso in cit. l. *Verum* 63, § 10, ff. *Pro socio*, ibi: « Intereunt autem homines quidem maxima, aut media capitis deminutione, aut morte. »

(29. Quid autem et quotuplex sit capitis deminutio, habetur in institut. *De capitis deminutione*, in princip., ibi: « Est autem capitis deminutio proprii status mutatio: eaque tribus modis accidit: nam aut maxima est capitis deminutio, aut minor (quam quidem mediam vocant), aut minima. Et § 1, expresse dicitur: « Maxima capitis deminutio est, cum aliquis simul et civitatem et libertatem amittit, quod accidit in his qui servi pænæ efficiuntur atrocitate sententiæ; vel libertis, ut ingratis erga patronos condemnatis; vel his qui se ad pretium participandum vendidit passi sunt. » Et § 2 sic: « Minor, sive media capitis deminutio est, cum civitas amittitur, libertas vero detinetur, quod accidit ei, cui aqua et igni interdictum fuerit. Vel ei qui in insulam deportatus est. » Et § 3, sic: « Minima capitis deminutio est, cum civitas retinetur, et libertas, sed status hominis commutatur; quod accidit in his, qui cum sui juris fuerint, ceperunt alieno juri subjecti esse, vel contra: veluti si filiusfamilias a patre emancipatus fuerit, est capite deminutus. » Et § 4, sic: « Servus autem manumissus capite non minuitur, quia nullum caput habuit. » Et § 5, sic: « Quibus autem dignitas magis quam status permutatur, capite non minuuntur, et ideo a senatu motos capite, non minui constat. » * Cæterum societatem permanere, licet filiusfamilias a patre emancipatus sit, vel quis adrogatus sit, docent Ulpianus et Paulus in l. 58, § 2, et l. 65, § 11, ff. *Pro socio*. Notandum quoad adrogatum, quod licet post adrogationem in societate continet, societas tamen ad adrogatorem non transit, ut habet idem Paulus, in cit. l. 65, § 11 in princ. *

(30. *Ex rebus* dissolvitur societas, quando sors capitalis perit in totum vel conditionem ita mutavit, ut non amplius sit in commercio hominum, quia v. g. facta est religiosa et Deo consecrata, cit. lege *Verum*, § 10, ibi: « Res vero, cum aut nullæ relinquuntur, aut conditionem mutaverint; neque enim ejus, quæ jam nulla sit, quisquam socius est, neque ejus, quæ consecrata... sit. »

(31. Item societas dissolvitur publicatione bonorum, cit. l. *Verum*, § 10, ibi: « Publicatave sit; » et cit. l. *Actione* 65, § 12, ff. eod., ibi: « Publicatione quoque distrahi societatem diximus: quod videtur spectare ad universorum bonorum publicationem, si socii bona publicentur, nam cum in ejus

locum alius succedat, pro mortuo habetur, et § *Publicatione* 7, instit. *De societate*, ubi habentur fere eadem verba.

(32. Item societas dissolvitur per cessionem honorum, cum quis ære alieno et egestate oppressus bonis suis cedit. § *Item si quis* 8, instit. *De societate*, ibi: « Si quis ex sociis mole debili prægravatus bonis suis cesserit, et ideo propter publica aut privata debita substantia ejus veneat, solvitur societas, » et cit. l. *Societatem* 4, ff. *Pro socio*, juncta Glossa, *ib.*, verb. *Egestate*; ubi expresse dicit: « Ut si quis ex sociis bonis cesserit. » * His addi etiam potest l. 65, § 1, ff. eod., quæ sic habet: « Bonis a creditoribus venditis, distrahi societatem Labeo ait. »

(33. *Ex voluntate* dissolvitur societas per renuntiationem, textu expresso in cit. l. *Verum*, § 10, ibi: « Voluntate distrahitur societas renuntiatione. » Intellige tamen per renuntiationem seu consensum mutuum omnium sociorum; alias vero, si unus solummodo renuntiat, ipse quidem a se liberabit socios suos, se vero non liberabit ab ipsis, quando societatis interfuit, non dirimitur tunc societatem, textu expresso in cit. l. *Actione* 65, § 3 cum seq., ff. *Pro socio*, et concordat § *Manet* 4, instit. *De societate*.

(34. Item finitur societas finita negotiatione, textu expresso in cit. lege *Actione*, § 10, ibi: « Item si alicujus rei societas sit, et finis negotio impositus, finitur societas; » et § *Item* 6, instit. *De societate*, ibi: « Item si alicujus rei contracta societas sit, et finis negotio impositus est, finitur societas. »

(35. *Ex actione* dissolvitur societas, judicis judicio et auctoritate, id est quando, excitata inter socios controversia, per judicem dirimitur per dissolutionem contractus; l. *Actione* 65 in principio, ff. *Pro socio*, ibi: « Hoc ipso, quod judicium ideo dictatum est, ut societas distrahatur, renuntiatam societatem, sive totorum onerum, sive unius rei societas coita sit. »

(36. Item actione dissolvitur societas per stipulationem, id est per novationem seu delegationem, quando unus socius, non renuente, sed potius altero acceptante, obligationem suam, quam contraxit versus ipsum in celebratione contractus, in tertiam personam transfundit, quam delegat, vel unam in alteram obligationem commutat, cit. leg. *Actione*, in principio, ibi: « Actione distrahitur, cum aut stipulatione aut judicio mutata sit causa societatis. »

(37. Item actione dissolvitur societas, quando socii non inscii separatim agere incipiunt, et unusquisque eorum sibi negotiatur, textu expresso in lege *Itaque* 64, ff. *Pro socio*, ibi: « Itaque cum separatim socii agere ceperint, et unusquisque eorum sibi negotiatur, sine dubio jus societatis dissolvitur. »

(38. Item actione dissolvitur societas, quando ipsa actio perit, textu expresso in cit. l. *Verum* 65, § 10, ff. *Pro socio*, ibi: « Ideoque sive homines, sive res, sive vo-

luntas, sive actio interierit, distrahi videtur societas. »

(39. Perit autem actio temporis conventi lapsu, id est actione finitur societas, finito tempore ad societatem constituto, textu expresso in cit. l. *Actione*, § 6, ibi: « Quod si tempus finitum sit, liberum est recedere, quia sine dolo id fit. » Item perit actio per sententiam judicis. Arg. cit. *Jur.*, supra num. 34. Item per novationem, seu delegationem. Argum. cit. *Jur.*, supra num. 35.

(41. Finita seu dissoluta societate, divisio bonorum seu lucri provenientis debet fieri inter socios ad æqualitatem juxta proportionem illius, quod quisque contulit in societatem, ita ut, si æqualem pecuniam, vel industriam contulerint, æquale lucrum recipiant, et si inæqualem contulerint pecuniam vel industriam, inæquale etiam ad proportionem lucrum reportent. *Communis*, per text. in l. *Si societatem* 6, ff. *Pro socio*, ibi: « Si societatem (mecum) coieris, ea conditione, ut partes societatis constitueres, ad boni viri arbitrium ea res redigenda est, et conveniens est viri boni arbitrio, ut non utique ex æquis partibus socii simus. Veluti si alter plus operæ, industriæ, pecuniæ in societatem collaturus sit; » et in leg. *Si non fuerint* 29, ff. eod., ibi: « Si vero placuerit, ut duas partes vel tres habeat, alius unam, an valeat? Placet valere, si modo aliquid plus tulit societati, vel pecuniæ, vel operæ, vel cujuscunque alterius rei... Quod ita demum valebit (ut et Sabinus scribit), si tanti sit opera, quanti damnus est. Plerumque enim tanta est industria socii, ut plus societati conferat quam pecunia. Item si solus naviget, si solus peregrinetur, pericula subeat solus. » Et concordat, § *De illa* 2, instit. *De societate*.

(42. Finita seu dissoluta societate attenda natura contractus, si alter ex sociis contulit rem seu pecuniam, et alter suam meram industriam, et operam non majoris valoris dictæ pecuniæ, seu rei, capitale est restituendum ei, a quo datum est, et solum lucrum dividendum. Abbas, cons. 77, col. 2; Bolognetus, in *Apostil.* ad cons. 99; Joan., *De anan.*; Lopus, allegat. 94, n. 3; S. Thomas, 2-2, quæst. 78, art. 2 ad 5; Silvester, verb. *Societas* 1, qu. 20; Angelus, verb. *Societas*, § 17; Sotus, lib. vi *De justit.*, quæst. 6, art. 1 in fine; Navarrus, in *Enchirid.*, cap. 17, num. 353; Lessius, lib. xxv, dub. 20, a num. 15 ad 20; Mantica, lib. vi, tract. 14, n. 17; Rosignol., *De societate*, contract. 7, num. 3, et alii, argum. citatis *Juribus*, num. antecedenti, aliis in toto tit. *Pro socio*, et tit. *Familia exercundæ*, et tit. *De communi dividendo*, ubi dicitur sociis capitale integre reddendum, et nullibi fit mentio de capitali dividendo. Et ratio est, quia, si capitale esset inter dictos contrahentes dividendum, non esset æqualis utriusque contrahentis conditio. Conferens enim capitale, non posset habere nisi jus ad lucrum proportionatum cum amissione partis capitalis; conferens autem operam et industriam haberet jus ad lucrum etiam proportionatum, et in-

super ad determinatam partem capitalis, quod non est dicendum, adeoque, etc. Tum quia, si capitale perit, perit ipsi conferenti, ergo si remanet, eidem remanere debet. Unde Cabassutius, *Juris canonici theor. et prax.*, lib. vi, cap. 13, num. 7, sic concludit: « His adde, Sixtum V, in Extravagante: *Detestabilis avaritiæ*, ita sentire, sortem, finita societate, tradendam esse illi qui eam contulit, si exstat. »

(43. Si finita et dissoluta societate, nullum sit lucrum, adhuc totum capitale est restituendum ei qui illud contulit. Et si capitale perierit, totum ipsi conferenti perit. Sic contra paucos fere communis doctorum, et signanter Cabassutius, *loco cit.*, num. 3, ubi inter alia requisita ad justam societatem, hoc quartum enumerat sic expresse dicens: « Quarto, ut singuli subeant damna, et expensas pro rata quoque eorum quæ ex parte sua contulerunt, atque seorsim totam incurrant jacturam eorum quæ in sortem contulerunt, ut qui pecuniam contulit, totum pecuniæ suæ periculum subeat, si absque socii culpa levi aut lata pereat; si vero salva pecunia nihil obveniat lucri, socius alter, qui suum laborem vel industriam, contulit, subeat solus jacturam industriæ seu laboris; pecunia vero tota ad eos redeat, qui eam contulerunt. » Et infra, num. 7, concludit: « Si pecunia pereat, perire illi debet, qui eam contulit, ergo si supersit, eidem tradenda est, ut qui sentit onus, sentiat quoque commodum. Cap. *Qui sentit onus* 55, De reg. juris, et secundum naturam est, commodum cujusque rei eum sequi, quem sequuntur incommoda. » L. *Secundum naturam* 10, ff. *De regul. juris*.

(44. Finita et dissoluta societate, si pro ipsa nihil expresse determinet jus, et nulla inter contrahentes præcesserit justa pactio, divisio est facienda juxta probatam consuetudinem cujusque loci, seu regionis, quia quando nihil conventum est in contractibus, et jura nihil determinate præscribunt, id actum præsumitur, quod consuetum est. L. *Quod si nolit* 31, § 20, ff. *De ædilitio edicto*, l. *Si prius* 17, § 1, ff. *De aqua et aquæ pluvie arcendæ*. Et hoc cum omnimodo fundamento, cum consuetudo sit jus non scriptum, seu jus quoddam moribus utentium comprobatum, quod pro lege suscipitur, cum deficit lex, textu expresso in cap. *Consuetudo* 6, dist. 1, ibi: « Consuetudo est jus quoddam moribus institutum, quod pro lege suscipitur, cum deficit lex. »

(45. Advertendum est circa dicta de contractu vulgo trium contractuum, quod Benedictus XIV, *De synodo diocesana*, lib. iv, cap. 50, asserit, disputari adhuc, an revera fuerit a Sixto V peculiari constitutione super illo edita, prohibitus talis contractus, et erudite allatis, et scite suo more ponderatis utriusque sententiæ rationibus, recte concludit, quod episcopi in synodo a definitionibus super eo abstinere debent, sed subditos suos ab illo, utpote periculoso, dehortari. Vide ipsum *ibi*, ubi plurima egregie tradit ad rem scitu dignissima, et Ro-

signolum, *loco a nobis cit. supra*, sub num. 10, ubi sub num. 5, utramque sententiam recte conciliat.

ADDITIONES EX ALIENA MANU.

(46. Tria hic addere libet. Primum est, quod societas jus quodammodo fraternitatis complecti dicitur. L. 63, ff. *Prin.*, ff. *Pro socio*. Hinc autem varia deduxerunt Romani jurisconsulti. (47. Nam infamiam minantur socio illi, qui perfide agit: L. 6, ff. *De his qui notantur infamia*. (48. Beneficium competentiam inter socios locum habere statuunt, qualiscunque fuerit societas. L. 22, § 1, l. 63, ff. *Pro socio*. (49. Nec obstat lex 16, ff. *De re judicat.*, quam corruptam esse docet Noodt, in *Commentar. ad digest.*, tit. cit. *Pro socio*. (50. In rationibus reddendis multum fidei, et jurejurando ejus qui administravit, relinquunt, ubi de majori quantitate non est sermo. Confer Leyser., spec. 184, num. 9.

(51. Alterum est, quod non aliter socius ex contractu alterius acquirit et obligatur, quam si nomine societatis tanquam institor, et secundum normam præscriptam seu voluntatem sociorum contraxit. L. 4, § 1, ff. *De exercit. act.*, si in communem arcam pecuniæ versæ sint. L. 8, ff. *Pro socio*. Alias si socius proprio nomine contraxit, reliquis jus agendi contra tertium non nascitur, nec reliqui obligantur. L. 13, c. *Si cert. petat.*; adi Lauterbeck., *De oblig. socior. que oritur ex conventionione cum extraneo inita*.

(52. Tertium demum est, quod *contractus trinus* fuit approbatus a Rota, in *Lucana pecuniaria* 21 Januarii 1744, § 3, cor. em. *Bussio*, ibi: « Cum enim hujusmodi persolutio et immissio pecuniarum in negotium, sit contractus in dicta civitate usitatus, et nuncupetur depositum mercantile continens trinum contractum, nempe societatis, assecurationis capitalis, et conventionis fructuum, ex quo honestum, et limitatum lucrum retrahi valet, etc., utique fractus exacti a canonico in dicta quantitate scutorum 557, 12, reputandi amplius non erunt illicitæ usuræ provenientes ex credito mere pecuniario, sed legitimæ obventiones conventæ in dicto novo contractu, innovativo præcedentis crediti fructiferi, quæ justo titulo exigi non poterant absque ullo onere et obligatione restitutionis. »

(53. Quinimo tradit supremum tribunal in mox allegata decisione, quando initus dici queat trinus hic contractus, ut ex § 4, et plur. seq. * De societate videndus egregius tractatus nuper editus a doctissimo avvocato Zanchio, qui fuse de hac re agit. *

* Additiones novæ.

(54. Contractum trinum cum socio aut sociis initum damnant Antoine in tractatu *De contractibus*, cap. 8, quæst. 2; Cuniliati, tract. 10, *De 7 Decal. præcepto*, cap. 5, § 2; Colet in continuatione *Prælectionum theologiarum*; Honoratus Tournely, in tract. *De contractibus*, part. ii, cap. 4, concl. 1, et

alii, quos recensere longum esset. Confer Petrum Ballerinum, in Appendice ad opus ab eodem editum hoc titulo: *De jure divino et naturali circa usuram*, Bononiæ 1748, opuscul. 2, cap. 3. Præ omnibus autem legendus est Daniel Concina, in opere, quod inscribitur *Usura contractus trini dissertationibus historico-theologicis demonstrata*, Romæ 1746. Hic enim non modo omni argumentorum genere contractum istum usurarium esse pugnat, sed etiam singula, quæ ab ejus patronis, atque adeo a Lucio nostro a num. 7 ad 11, pro eodem ab usuræ labe purgando afferuntur, copiose et accurate refellit, objectaque a sacræ Romanæ Rotæ decisionibus, præsertim in *Lucana pecuniaria*, ad quam decisionem *Additionum* auctor num. 52 et seq. provocat, petita diluit.

(55. De societate autem animalium, de

SOCIETAS INTER FRATRES.

SUMMARIUM.

1. Fratres, defunctis parentibus, possunt inire inter se contractum societatis. — 2. Per hoc tamen, quod fratres habeant hæreditatem seu patrimonium indivisum, et de communi mensa vivant, non censentur strictam et rigorosam societatem omnium bonorum iniisse. — 3. Hinc frater habens hæreditatem et patrimonium indivisum cum aliis fratribus, non tenetur per hoc communicare ipsis lucrum a se acquisitum ex publico alicujus officii administratione. — 4. Item non tenetur per hoc communicare aliis fratribus lucrum acquisitum per negotiationem nomine proprio factam, quamvis cum hæreditaria communi pecunia; dummodo ratione talis negotiationis non deficiat operibus debitis communioni et indivisioni fraternæ. — 5. Intelligit tamen dummodo talis frater non fuerit tutor aut curator aliorum fratrum. — 6. Lucrum autem acquisitum per negotiationem nomine communi factam, est aliis communicandum. — 7. Fratres viventes ex communi mensa post obitum patris, inita societate, non repetent quæ contulerunt ad communem victum. — 8. Posset autem frater, qui plus contulit, illud repetere, si non fuit prius inita societas. — 9. Excipe tamen, nisi alii fratres fuerint pupilli, amentes aut furiosi. — 10. Frater, qui, inita societate, dotavit de propriis bonis sororem, potest ab aliis fratribus compensationem repetere. — 11. Frater non habens expressam societatem omnium bonorum cum aliis fratribus, si ex bonis communibus filiam suam dotet, debet in divisione eam dotem in suam partem computare. — 12. Secus autem si habuerit dictam expressam societatem omnium bonorum. — 13. Frater habens præ aliis filios laborantes in utilitatem communionis fraternæ, si non inierit cum aliis dictam expressam societatem omnium bonorum, potest exigere compensationem proportionatam dictis laboribus. Et sic frater non habens filios potest exigere ab habente filios illud plus, quod in ipsis alendis fuit consumptum, nisi tamen aliter sit conventum, aut aliud ferat legitima consuetudo. — 14. Secus autem si dicti fratres inierint inter se expressam rigorosam societatem omnium bonorum. — 15. Frater habens uxorem lucra acquirentem ex aliqua peculiari arte aut professione, si ipsa uxor tenebat lucrum separatum, aut conjectari possit, quod noluerit societatem contrahere, non tenetur illud in divisione aliis fratribus communicare, compensato tamen defectu uxoris in aliis operibus domesticis propter exercitium talis artis aut professionis. — 16. Sic a fortiori non te-

qua Ferraris num. 11, juvat hic referre, quæ S. Carolus Borromæus in concilio *Mediolanensi provinciali* anno 1565. Actor. part. ii, cap. *De usuris* decrevit. Sunt autem hujusmodi: « In societate animalium, quæ inestimata alicui dantur ad custodiam, sive ut operas præstet, omnes casus, etiam fortuiti, semper sint periculo ejus qui dederit, nisi id alterius socii dolo, vel magna negligentia accidisse constiterit. Nec fiat pactum, ut sors sit semper salva, etiam ex primis fetibus. Neve quidpiam certum, præter sortem, ex fructibus animalium quotannis solvatur. Et in locationibus animalium, quæ fiunt certo pretio, si illa absque dolo aut negligentia ejus, qui conduxit, deteriora fiant, id semper sit damno ejus qui locarit. Si autem animalia dentur æstimata, ita ut sors danti salva sit, nihil omnino percipi possit. »

netur frater communicare lucra acquisita ex nonis paraphernalibus suæ uxoris, si ipsa uxor sibi expresse reservaverit talia lucra, aut conjectari possit, quod noluerit communicare. — 17. Secus autem si ipsa uxor, et suus vir cum ejusdem fratribus iniissent expressam societatem omnium bonorum. — 18. Ratione enim hujusmodi rigorosæ societatis communicari debent quæcunque ex qualibet causa acquisita. — 19. Nec obstat, quod in tali societate bona unius fratris sint multo plura bonis alterius. — 20. Ast debet adverti, quod non intelligitur id, quod ex opere, artificio, industria vel cura, et diligentia cujusque provenit. — 23. Unde ratione societatis simpliciter contractæ non communicatur hæreditas, legatum, vel id quod est donatum. — 24. Tenetur autem frater ratione societatis simpliciter contractæ communicare thesaurum inventum, sive in suo communi fundo, sive in alieno. — 25. Socius vero non frater, sed extraneus, ratione talis societatis tenetur communicare aliis sociis solum thesaurum repertum in fundo alieno, et non repertum in suo. — 26. Semper autem esset communicandus cum aliis sociis sive fratribus, sive extraneis talis ubicunque repertus thesaurus, si inter ipsos fuisset inita rigorosa societas omnium bonorum. — 27. Debitum contractum ab uno fratrum post obitum patris, est de communi solvendum, si conversum fuerit in communem utilitatem. — 28. Secus autem si conversum fuerit in solum privatum commodum contrahentis. — 29. In contentione in quem usum fuerit debitum conversum, onus probandi spectat ad illum, qui tale debitum contraxit: qui si non probet fuisse conversum in communem utilitatem, debet solvere de proprio. — 30. Et mortuo fratre, qui debitum contraxit, onus probandi fuisse tale debitum conversum in communem utilitatem spectat ad creditorem. — 31. Delictum, seu maleficium unius fratris socii omnium bonorum non nocet aliis fratribus. — 32. Præscindendo a societate, fratres in divisione hæreditatis paternæ et maternæ afferre debent ad partitionem communem, quæ ab ipsis viventibus acceperunt: dummodo ipsis expresse, vel tacite per conjecturas non præsumantur donata seu condonata. — 33. Primo igitur debet frater adducere et computare in suam partem, pecuniam, quam